

nationem absolvens. Causas agnoscit solum motum vehementiorem, peccato sex rerum non naturalium ortum; vix ullam materiam. Cognoscitur: a causa levi; corpore puro; symptomatibus levibus; crisi cita; pulsu mox a febris exitu plane restituto. Curatio facilis, abstinentia, quiete, dilutione.

729. Si protrahitur dicta febris (728.) per plures dies, vocatur Continua non putris; causae, signa, medela eadem; maxime venae sectione larga, & refrigerantibus, eget.

FEBRIS CONTINUA PUTRIDA.

730. Synochus putris dicta fuit, quae debetur causis inflammatione simplici majoribus, viscerum obstructioni, cutis oppilationi, & capillarium fere omnium, acrimoniae vero acutiori, saepe prorsus singulari.

731. Cognoscitur calore digitum tangentem quasi pungente, pulsu febrili, sed & inaequali, & non ordinato, urina crassa, rubra, turbida, cruda sine sedimento, temperie, aetate, habitu, calidis, sanguinolentisque.

732. Haec Homotonos, Epacmaistica, seu Anabatica, vel Paracmaistica.

Aphor.

L

733.

733. Ex quibus prior salutaris: pessima secunda: melior tertia.

734. Pulsus, quo debilior, frequentior, inaequalior robore, inordinatio tempore, intermittentior ictu; respiratio, quo difficilior, frequentior, anhelosior, cum narium pinnis magis motis, quo magis dolens circa vitalia, quo inordinatio; lassitudo, quo vehementior, debilitas major, jactatio corporis frequentior, decubitus in dorsum, extensis membris, frequentior; rationis, affectuum, quo usus perturbatio; appetitus magis prostratus, digestio molestior, urina rubicundior, crassior, turbidior, cum sedimento minori, vel & tenuior, magisque aquosa, parcius, minus retinenda; motus, quo magis tremuli, tactum refugientes, ludentes, carpentes; oculi, quo luctuosiores, involuntariis lachrymis humidiores, eo morbus hic (730.) peior. lethalior.

735. Sed ubi somnus difficilis & male cedens, pustulae purpureae, vel lividae corpus deturpant, hypochondria tensa & inflata, fere moritur.

736. Curatio ante tradita pro indicantium varietate, symptomatum vehementia, aegri conditione, statuque morbi variata nihil singularis requirit.

737. Has dixit *εὐρύκτες* Vetustas, Continentes Schola, quia nulla in his fervoris remissio:

missio: συνεχής vero, five continuas (727.),
 quae Continuae remittentes.

FEBRIS ARDENS.

738. **Q**uas inter Causas, five Ardens di-
 cta febris, meretur singulatim di-
 scuti, ob frequentiam, discrimen, sanandi
 laborem.

739. Hujus symptomata primaria, Ca-
 lor ad tactum fere urens, inaequalis diver-
 sis locis, ad vitalia ardentissimus, (in ex-
 tremis saepe remissior, imo aliquando fri-
 gus), ipsum aerem exspiratum incendens;
 siccitas in cute tota, naribus, ore, lin-
 gua; Respiratio densa, anhelosa, cita;
 Lingua sicca, flava, nigra, exusta, aspe-
 ra; sitis inexplebilis, saepe subito sublata;
 fastidia cibi, nausea, vomitus; anxietas,
 inquietudo; lassitudo summa; Tussicula,
 vox clangosa; delirium, phrenitis, per-
 vigiliam, coma, convulsio, diebus impa-
 ribus exacerbationes.

740. Causa labor nimius, iter longum,
 aestus solis, sitis diu tolerata, usus calefa-
 cientium, fermentatorum, aromaticorum
 acrium, Veneris nimiae, delassatio immo-
 dica, maxime aestate &c.

741. Decursus talis, tertio & quarto
 die saepe lethalis, septimum raro transit si
 L 2 per-